



EBerhardus ex illustri familia comitum Nellenburgensium natus, atque Eponis ex Heduiga filius fuit. Is apud Germanos principes suo tempore innocentia uitae & pietatis cultu insignis erat. Unde ad S. Iacobum in Hispanias & postea Romam religionis causa profectus est. Cum autem is opibus excelleret, monasterium S. Benedicti ad Rheni ripam, ubi mox Schaffusia celeberrima Heluetiorum urbs orta est, fundauit, atque duodecim monachis & abbate exornauit, anno 1052. Pontifex Leo primum altare, Rumoldus uero Constantiensis praesul ipsum templum ceremonijs inaugurauit. Id Eberhardus multis redditibus, pagis, & priuilegijs

exornauit, consensu Henrici 3. Caesaris. Itaque factum ut hominum concursu breui pagus, postea oppidum, & tandem pulcherrima & munitissima urbs ibidem excreuerit. Cum ergo monasterium illud omnibus rebus perfectum esset, comes ipse religionis monachorum habitum assumpsit, atque magna humilitate uixit. Eius etiam uxor, cum Eberhardo multos liberos peperisset, monialis effecta est, atque iuxta monachorum habitationem sibi cellam constituit, ex qua postea S. Agnetis coenobium ortum fuit. Cum hoc modo comes cum uxore beatam (ut putabant) uitam agerent, atque per aliquot annos Deum precibus celerent, tandem Eberhardus anno aetatis 60. mortuus, atque in suo monasterio honorifice sepultus est. Eum etiam locum postea eius filius Burckardus comes Nellenburgensis miro amore profectus est, atque non solum patris fundationem confirmauit, uerum etiam plurimis bonis insuper additis exornauit, atque ibidem Vuilhelmum Hirsgauensem monachum primum abbatem constituit. Ioan. Stumpff.